

inducere, quia per se et directe hæc cura ad eos non pertinet; et ideo de hac obligatione iudicandum erit juxta principia et regulas, quas disput. seq. trademus.

3. *Suscipiens sacramentum debet esse ita dispositus, ut sit capax effectus principalis.* — Dico secundo: recipiens sacramentum tenetur ita dispositus ad illud accedere, ut sit capax principalis effectus ejus, qui est gratia sanctificans; cui effectui obicem ponere semper est peccatum mortale, nisi propter ignorantiam invincibilem aliquis excusetur. Conclusio est certa ex communi Theologorum doctrina, et universali Ecclesie consensu. Quod enim ait Paulus de Eucharistia, 1 ad Cor. 11: *Qui indigne manducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*, ad omnia sacramenta applicari potest. Nam qui indigne illa sumit, non dijudicat inter ea et elementa vacua et egena. Atque hinc sumitur ratio conclusionis. Prima, quia cum hæc sacramenta sint instituta ut sint efficacia gratiæ signa, qui illa recipit ponendo obicem huic effectui, quantum in se est, inanem et falsam reddit eorum significationem; et ideo grave sacrilegium committit. Secunda, quia sancta debent sancte tractari, et ideo si in dante hæc sacramenta gratia postulatur, multo magis in recipiente, quia propinquius et (ut ita dicam) intimius concurrat ad sacramentum, cum ipsi quodammodo adhæreat, et in ipso recipiatur.

4. *Gratia non est in omnibus sacramentis dispositio necessaria.* — Sed observanda sunt nonnulla circa hanc doctrinam. Primum enim non dixi teneri, qui sacramentum recipit, ad accedendum in gratia, sed ad accedendum ita dispositum, ut effectum gratiæ possit recipere; quoniam dispositio gratiæ non est in omnibus sacramentis ex præcepto necessaria; nam illa, quæ instituta sunt ad dandam primam gratiam, quæ dicuntur sacramenta mortuorum, scilicet, baptismus, et pœnitentia, non prærequirunt gratiam, ut dispositionem, quia non debent necessario præsupponere effectum, ad quem ordinantur. Solum ergo requirunt talem animi dispositionem, seu dolorem de peccatis, qui ad obicem gratiæ tollendum sufficit, et tunc non dicitur proprie aliquis recipere sacramentum in peccato mortali, quia licet toto antecedenti tempore sit in eo statu, tamen in instanti, in quo sacramentum consummatur, ac perfecte recipitur, ipse recipiens justificatur, et significatio sacramenti vera efficitur. In aliis vero sacramentis

vivorum, quia per se ordinantur ad gratiam augendam, roborandam, ac juvandam, ideo prærequirunt gratiam, et illa dispositio est ex præcepto necessaria, ut non ponatur obex effectibus talium sacramentorum. Quæ doctrina sumitur ex D. Thom. infra, quæst. 79, art. 3, ad 2, et quæst. 80, art. 4, ad 2, et in singulis fere sacramentis ex professo declarabitur. Secundo locutus sum de effectum gratiæ sanctificantis. Quia licet sacramenta habeant alios effectus, illis obicem ponere, licet interdum possit esse aliqua culpa, tamen per se loquendo ac secluso contemptu, non est peccatum mortale; ut, v. gr., baptismus præter effectum gratiæ habet alium remittendi totam pœnam; cui ponet aliquis obicem, si accedat cum complacentia aliquorum peccatorum venialium, in quo tamen non peccabit mortaliter. Similiter actualis devotio est effectus Eucharistiæ, cui ponet quis obicem, si ad communicandum imparatus et distractus accedat; non tamen peccabit mortaliter, dummodo accedat sine conscientia alicujus peccati mortalis; et sic de aliis. Et ratio est, quia per hujusmodi obicem simpliciter non redditur falsa significatio sacramenti, cum sacramentum vere efficiat gratiam, quam significat; nec recipitur in subjecto indigno, cum sit per gratiam sanctificatum. Igitur si aliqua intercedit irreverentia, levis est culpa. Omitto effectum characteris; quia huic non potest recipiens obicem ponere, si velit sacramentum verum accipere, et ideo obligatio non ponendi obicem huic effectui non est distincta ab obligatione habendi debitam intentionem suscipiendi sacramentum; de qua præcedenti sect. dictum est. Atque eadem ratio est de quibusdam aliis effectibus, qui vel non pendent ex speciali dispositione recipientis præter statum gratiæ, vel non statim dantur, sed temporibus opportunis, ut sunt, v. gr., sanitas corporis in extrema unctione, actuale auxilium in confirmatione, matrimonio, aut Ordine, et similes, ad quos vix cognoscitur quæ sit dispositio necessaria ex parte recipientis, aut quando, vel quomodo illis ponatur obex.

## DISPUTATIO XVIII.

## DE OBLIGATIONE NON COOPERANDI INDIGNE DANTI, VEL RECIPIENDI SACRAMENTUM.

Hactenus diximus de absoluta obligatione dantis et recipientis sacramentum; nunc superest dicendum de respectiva, quæ oriri

potest in ministro ex prava dispositione petentis sacramentum, vel e converso, in eo qui suscepturus est sacramentum, ex prava dispositione illius, qui est daturus. Quæ obligatio ad eam reducitur, qua unusquisque tenetur non communicare alienis peccatis, seu fieri illorum particeps. Et ideo disputationem hanc sub dicto titulo proposui, sub quo possunt aliæ personæ comprehendere præter dantem et recipientem sacramentum. Nam possunt alii inducere vel cooperari ad indigne dandum, vel recipiendum sacramentum. Nihilominus tamen nihil est, quod circa alias personas immoremur, quia vel rarissime peccare possent in hac cooperatione, vel si aliquando peccant, est quatenus aliquo modo inducunt ad malum, quorum culpa vel obligatio ex regulis generalibus de charitate et scandalo mensuranda est, et quæ dicemus de recipiente sacramentum, poterunt fere ad alias personas applicari, servata proportione, ut in sequentibus explicabimus. Dicemus ergo prius de suscipiente, quoniam materia frequentior est et universalior; postea vero de ministrante.

## SECTIO I.

Utrum teneantur omnes non suscipere sacramenta ab iniquis ministris, et quomodo in hoc peccare possint.

4. Suppono primo, neminem posse sacramentum petere ab eo, qui non potest rite et valide dare. Probatur aperte, quia si quis petat sacramentum ab eo, qui omnino non potest illud conficere, ut si quis absolvi petat a sacerdote, qui jurisdictionem non habet, duplici ratione peccat. Primo, quia inducit ad actum sacrilegii. Secundo, quia ipsa susceptio ficti sacramenti in se est mala, et contra rectam rationem, ut supra ostensum est. Et ideo velle seu procurare illam per se est peccatum, præter inductionem, seu cooperationem ad peccatum alterius. Quapropter non solum committitur hoc peccatum, quando sacramentum petitur ab eo, qui non potest dare; sed etiam, si petatur ab eo, qui potestatem habet, male tamen illa usus est, ita ut sacramentum non conficiat, ut si quis ab Episcopo hæretico peteret ordinari, sciens illum non solere servare substantialia ritum illius sacramenti. Ratio est eadem, quia tunc tam actio, quam receptio est sacrilega, et prorsus inutilis, perniciosamque fictionem

continens. Secundo suppono: si is, a quo petitur sacramentum, potestatem habeat conficiendi illud quoad substantiam, et rite sit illa usus, ita ut sacramentum factum teneat, non tamen possit licite illa uti, vel simpliciter, quia, v. gr., prohibitus est, aut suspensus, vel aliquid hujusmodi, vel respectu petentis, quia videlicet non habet jus dandi, quia neque est pastor illius, nec facultatem habet a proprio pastore, neque ob necessitatem aut aliam similem causam censetur illi concessum tale jus; in hujusmodi casibus semper est illicitum, sacramentum petere a tali ministro, quia cum ab aliquo petitur quod sine peccato præstare non potest, consequenter petitur peccatum ipsum, quod est intrinsece malum; et præterea, quando ab eo petitur, qui non habet jus dandi, præter malitiam inducendi alium ad malum, fit etiam contra obligationem, qua fideles tenentur non petere aut accipere sacramenta ab aliis, quam a suis pastoribus, vel qui ab eis habent dandi facultatem. Nam sicut pastores tenentur non usurpare jus alienum, ita et oves non debent nisi a suis pastoribus sacramenta petere; utrumque enim ad bonum Ecclesie regimen necessarium est, et ita utrumque habet in ipso jure divino et naturali fundamentum, et in his conveniunt auctores statim citandi. Dices: accidere potest, ut is, qui non habet potestatem licite administrandi sacramentum, sit paratus et expositus ad dandum; et fingamus esse in actuali dispensatione ejus, ut, v. gr., in altari Eucharistiam dispensando; licebitne tunc ab illo suscipere sacramentum? videtur enim in eo casu, neque esse inductionem ad malum, quia ille est expositus, neque inde augeri peccatum dantis, moraliter loquendo, neque etiam videtur illa esse cooperatio ad actionem malam, sed ad receptionem bonam ex actione mala. Nihilominus dicendum est etiam in eo casu hoc non licere, quia hoc ipso, quod minister non habet jus dandi, vel habet illud suspensum, est directe prohibitum fidelibus, ne ab eo accipiant sacramenta; et ideo non licet eis accedere, quantumvis alter expositus sit. Ac deinde non omnino deest ibi cooperatio ad malum, nam licet sit minor, quam si alio modo fiat, non est tamen omnino nulla. Imo etiam est quædam virtualis petitio sacramenti. Nam qui accedit ad recipiendum, petit illud; petere autem ab eo, qui non potest dare licite, intrinsece malum est; non est ergo illa pura passio licita ex illicita actione resultans, sed est quædam

cooperatio ad actionem illicitam, quæ non potest censeris levis ex parte materiae, eo quod peccatum dantis parum augeri videatur, quia revera est gravis materia, cum sit integra effectio, vel dispensatio sacramenti, quæ si per se sola fieret, sufficeret ad peccatum mortale constituendum.

2. Difficultas ergo hujus quæstionis est, quando minister, et rite et licite potest dare sacramentum petenti, tamen re ipsa non est daturus sine peccato, quamvis verum sacramentum sit daturus, an tunc licite ab eo petatur sacramentum. Et ratio dubitandi est, quia quamvis alius habeat potestatem, et jus dandi sacramentum, si tamen mihi constet, sacrilegium commissurum, illud ministrando, petendo sacramentum, sum causa illius sacrilegii, quia si ego non peterem, non fieret; ergo non licet. In contrarium vero est, quia ego peto rem licitam, quam alius licite præstare potest, et mihi utilem, et fortasse necessariam; cur ergo privari debeo meo modo et utilitate?

3. In hac re variæ sunt auctorum sententiæ. Prima est D. Thomæ supra, quæst. 64, art. 6, ad 2, et infra, quæst. 82, art. 9, qui duplicem distinguit ministrum iniquum; alium vocat toleratum ab Ecclesia, quia licet peccator sit, tamen neque est ab Ecclesia præcisus, neque a sacramentorum ministerio aliqua censura suspensus; alterum vocat non toleratum, quia est ab Ecclesia prohibitus, seu suspensus, ac præcisus. Qua supposita distinctione, duas statuit regulas generales, et sine ulla limitatione. Prima est: a ministro tolerato, quamvis iniquus sit, licitum est, petere sacramentum. Cujus fundamentum esse videtur, paulo antea tactum in ratione dubitandi secundo loco posita. Secunda est, a ministro non tolerato non licere petere sacramentum. Cujus fundamentum esse videtur, quia ille non solum inique est daturus, sed etiam non potest licite dare. Hanc doctrinam sequitur Durand., in 4, dist. 5, quæst. 2; et Paludan., quæst. 3, art. 4; qui diserte et sine limitatione declarant, licere non solum accipere, sed etiam petere sacramentum a ministro tolerato, licet iniquus sit. Idem sentit Richard., ibi, art. 3, quæst. 4, nam licet addat, hoc maxime licere, quando minister tenetur ex officio dare sacramentum, non tamen negat licere etiam respectu aliorum, sed generatim etiam loquitur; idem sequitur Sylvest., verb. Baptism., 3, num. 7.

4. Hæc vero tam generalis doctrina multis

aliis non placet, et ideo variis distinctionibus utuntur. Primo, Scotus, eadem dist. 5, quæst. 2, art. 1, distinguit prius de ministro non tolerato. Nam in casu necessitatis licet ab eo accipere, non tamen extra illum; loquitur autem ibi specialiter de baptismo. In articulo vero secundo distinguit de ministro tolerato. Nam aut est occultus peccator, aut publicus; et de occulto absolute affirmat licere ab eo petere sacramentum, de publico vero subdistinguit; nam vel tenetur ex officio dare, et tunc etiam licet ab eo petere, aut non tenetur, et tunc ulterius subdistinguit; nam si sit alius sacerdos, a quo sit melius et sine peccato sacramentum dandum, non licebit a peccatore petere; si vero non sit alius, licebit. Hæc Scotus. In cujus sententia, quod de ministro non tolerato dicit, in genere sumptum, verum est, et non est contrarium D. Thomæ, qui locutus est per se, prout materia moralis postulat, non tamen excludit accidentales casus ex necessitate provenientes. Quæ vero, et quanta esse debeat hæc necessitas, in particulari explicandum est in variis sacramentis pro ratione necessitatis eorum, et ad materiam de censuris hoc maxime spectat, et statim nonnulla dicemus pro hujus loci opportunitate.

5. Omisso ergo ministro non tolerato, de tolerato aliter distinguit Cajetanus, d. quæst. 64, art. 8, nam ut liceat ab eo sacramentum petere vel recipere, duas requirit conditiones. Prima, ut ille sit paratus ad dandum. Secunda, ut qui petit, sit in aliqua necessitate suscipiendi sacramenta; quancumque vero hæc duæ conditiones non concurrunt, absolute et sine distinctione, negat hoc licere. Aliter Adrianus, quæst. 3 de Baptismo, distinguit de ministro parato ad ministrandum, vel non parato; et rursus, de eo, qui ex officio tenetur ad ministrandum, vel non tenetur. Et dicit primo, a ministro iniquo, qui ex officio tenetur dare sacramentum, licitum esse illud petere sine aliqua causa vel limitatione, id est, sive ille sit paratus, sive non, et sive petens sit in necessitate, sive non; satis enim illi esse censet, quod petit jus suum in re sancta et bona. Secundo dicit, ab eo, qui ex officio non tenetur dare, nec paratus est ad dandum, et inique est daturus, nunquam licere petere, etiam propter necessitatem, quia esset inducere ad malum, cum cesset ratio petendi jus suum. Tertio addit, a ministro iniquo parato ad ministrandum sacramentum, licitum esse illud petere, absque

alia conditione, id est, quamvis ille non teneatur dare, nec sit specialis necessitas. Quia illa non est inductio ad malum, cum ille sit paratus. Quam doctrinam fere docuit Angelus, verbo Clericus, 8, n. 2; tamen verb. Baptismus, 5, n. 42, dicit licere sacramentum accipere a ministro malo tolerato, dummodo qui accipit, non inducat illum ad dandum. Eandem fere doctrinam sequitur Soto, in 4, d. 4, quæst. 3, art. 5, ad 2; addit vero limitationem a Scoto supra indicatam, videlicet etiam si malus minister sit paratus, non esse ab eo accipiendum sacramentum, si possit recipi a bono ministro, quamvis id facere (inquit) non esset peccatum mortale. Rursus a ministro non parato dicit interdum licere sacramentum petere, etiam si ex officio dare non teneatur, dummodo gravis necessitas intercedat, qualis est in articulo mortis; vel in tempore, quo implendum est aliquod divinum præceptum; putat enim necessitatem implendi Ecclesiasticum præceptum ad hoc non sufficere. Navarr. autem in Sum., c. 22, n. 4, solum damnat eum, qui petit sine necessitate a malo ministro non parato, significans, ob necessitatem hoc licere. Non explicat autem qualem esse oporteat necessitatem hanc, nec distinguit de ministro, qui ex officio obligatur ad sacramentum dandum, vel qui non tenetur. Quocirca in tanta varietate judiciorum, et distinctionum multitudine, difficile est, moralem doctrinam in praxi servandam, clare, ac perspicue, et cum sufficienti fundamento proponere.

6. *Prohibitio petendi sacramentum duplex.* — *Ætate D. Thomæ omnis excommunicatus fuit non toleratus, nunc vero secus est.* — Ut ergo, si fieri potest, rem totam ad pauca et vera principia revocemus, advertendum est, duobus modis posse alicui esse prohibitum petere, aut accipere sacramentum ab aliquo ministro. Primo directe, ex vi alicujus præcepti sibi impositi, quo prohibetur aliquis accipere sacramentum ab alio, qui seclusa tali prohibitione haberet potestatem et jus dandi. Secundo, quasi indirecte, ex generali obligatione vitandi scandalum, seu non inducendi aliquem ad peccandum, nec cooperandi peccato alterius. Prior prohibitionis modus fit per censuras Ecclesiasticas, præsertim per excommunicationem majorem, per quam non solum ille, qui excommunicatur, a ministerio sacramentorum arcetur, sed etiam alii prohibentur directe, ne cum illo communicent, præsertim in sacris, et maxime in sacramen-

torum participatione, et hæc est prohibitio, de qua dixit D. Thomas non licere sacramentum accipere a ministro non tolerato, quod per se loquendo servandum est. An vero aliquando liceat a ministro excommunicato sacramentum petere vel accipere, non est hujus loci, sed in materia de censuris tractandum est, et in materia de baptismo dicemus, hoc licere in casu necessitatis illius sacramenti. An vero idem sit dicendum de poenitentia et Eucharistia, dicetur de illis disputando. Hic solum sunt tria observanda, circa hunc ministrum non toleratum. Primum est, juxta jus antiquum, quod tempore D. Thomæ servabatur, omnem ministrum excommunicatum, fuisse non toleratum, quia omnibus prohibitum erat ab illo petere, vel accipere sacramentum; tamen post Concil. Constant. et Basiliens., sess. 20, hanc prohibitionem moderatam esse ac limitatam ad eum, qui nominatim est excommunicatus, ac denunciatus, vel qui est manifestus percussor clerici, ita ut nulla tergiversatione possit celari. Quocirca, ex vi hujus novi juris solus ille dicens est minister non toleratus, qui hoc modo excommunicatus est, et solum respectu illius prohibentur fideles speciali ac directa prohibitione petere, vel accipere ab eo sacramenta. Dico autem speciali ac directa prohibitione, quia ex vi legis charitatis de vitando scandalo, et generalis obligationis non cooperandi ad malum, poterunt obligari fideles ad non petendum, neque accipiendum sacramentum a ministro excommunicato quocumque modo, propter hoc solum, quod ille peccaturus est ministrando. Nam hæc obligatio, cum naturalis sit, non potuit per illam Ecclesiasticam moderationem auferri, quia per illam neque excommunicatio generalis ablata est, nec prohibitio ipsi excommunicato facta, ne se sacris rebus vel ministeriis ingerat. Quando vero petere vel accipere sacramentum ab hujusmodi excommunicato tolerato sit inducere vel cooperari ad malum, juxta regulas statim tradendas de quocumque ministro tolerato, judicandum est, præter ea, quæ ad materiam de censuris spectant.

7. *Num a publico concubinario possit recipi sacramentum.* — Secundo est observandum, præter hanc prohibitionem per censuras, inveniri aliam specialem in jure, qua prohibentur fideles, ne a sacerdote publice concubinario sacramenta accipiant, aut Missam audiant, ut patet ex cap. Nullus, et c. Præter, d. 32, et ex cap. ult., 45, quæst. 8, et in cap.

Vestra, et c. ult. de Cohabitat. cleric. et mulierum. Quod præceptum obligasse omnes, sentit D. Thomas, infra, quæst. 82, art. 9, ad 3, et Quodlibet. 11, art. 8, et Sylvest., verb. Concubiniarius, § 4, et verb. Excommunicatio, 5, § 7; Navarr., in Sum., c. 23, n. 80, qui dicit, hanc esse communem sententiam Theologorum, et Canonistarum, additque hoc præceptum adhuc obligare omnes, et adducit canonem Concilii Trident., sess. 23, c. 14 de Reform., ubi Concilium renovat omnes pœnas in sacris canonibus latas contra clericos concubiniarios. Sed quamvis fortasse hæc sententia stando in jure antiquo sit probabilior (non enim defuerunt, qui hoc negaverint, ut constat ex Gabr., in 4, d. 13, quæst. 1, art. 3, dub. 4), tamen jam nunc probabilius existimo, hanc prohibitionem esse ablatam ex vi Decreti Constantiensis supra adducti. Quod sumi potest ex doctrina Gabriel. supra, et ex his, quæ tractat Adrian., in 4, in materia de Eucharistia, dub. 8, quod incipit: *Viso de impedimentis*, quia hæc prohibitio erat suspensio quædam, et cujusdam censuræ genus; omnis autem hujusmodi prohibitio revocata est per dictum Concilium ad duo capita supra posita, neque est amplius extendenda, ut latius in materia de censuris.

8. *Ex vi hæresis non est prohibitum directe ab hæretico recipere sacramentum.* — Tertio est observandum hæreticum, etiam si per Ecclesiam excommunicatus non esset, præcisum esse ab Ecclesia ex vi suæ hæresis; ideoque posse vocari non toleratum ab Ecclesia, cum non sit illius membrum. Nihilominus tamen, ex vi solius hæresis, et seclusa Ecclesiæ censura, non esset directe prohibitum fidelibus ab hæretico petere vel accipere sacramentum, quia neque ex sola rei natura oritur talis prohibitio, neque in jure divino positivo invenitur. Igitur seclusa censura, eodem modo, seu eodem genere obligationis erit prohibitum accipere sacramentum ab hæretico, quo a quolibet alio ministro iniquo; hæc vero obligatio tanto erit major, quanto iniquitas hæretici major est, majusque periculum proprium, majusque aliorum scandalum in communicatione cum illo. Unde, cum moderatio Concilii Constant. generalis sit, et ad omnes excommunicatos se extendat, etiam comprehendit hæreticos. Et ideo, quamdiu illi nominatim excommunicati non fuerint, non erit specialis et directa obligatio non recipiendi ab illis sacramenta, tanquam ab excommunicatis; sed solum illa quæ esse potest de vitando iniquo

ministro in hujusmodi opere, prout explicandum jam est. Et hæcenus de ministro non tolerato.

9. Circa aliud membrum de obligatione quasi indirecta vitandi sacerdotem inique ministraturum, propter vitandam inductionem seu cooperationem ad malum, tota difficultas est in explicando, quando petitio vel acceptatio sacramenti a tali ministro sit inductio vel cooperatio ad malum.

10. *Quando acceptio sacramenti a malo ministro sit cooperatio ad malum.* — Dico ergo primo: petere et accipere sacramentum a ministro, qui potest licite dare, ex malitia autem sua daturus non est sine peccato, non est intrinsece, ac per se malum, sive ille sit minister ex officio, sive non, et sive sit ad dandum paratus, sive non sit. Probatur, quia ab illa actione ministri, quæ, ut ab illo fit, habet adjunctam malitiam, separabilis est malitia, per se loquendo; nam solum ex prava voluntate ministri illi adjungitur; ergo, qui petit illam actionem, per se non petit aliquid malum, nec quod necessario habeat malitiam adjunctam; ergo illa petitio ex se et objecto suo non est mala; neque ex vi illius inducit aliquis alterum ad operandum malum, sed permittit illud malum, quod alius ex sua voluntate sola admisturus est actioni per se bonæ; non est ergo hoc intrinsece malum. Exempla sunt communia in petitione juramenti a Gentili, qui per falsos Deos juraturus est; et in petitione mutui ab eo, qui usuras exacturus est; nam hæc ex objecto non sunt mala intrinsece, sed possunt bene fieri, si cum debitis circumstantiis fiant. Quin potius hæc petitio sacramenti ab eo, qui potest licite dare, ex objecto non solum non est mala, verum etiam ex se est honesta et non tantum indifferens. Quia objectum illud ex se honestum est, et ad virtutem religionis pertinet. Et hanc existimo fuisse mentem D. Thomæ; imo videtur aperta sententia Nicolai P., d. c. ult., 15, quæst. 8, quam refert et sequitur Lucius III, in c. Vestra, de Cohab. cleric. et mulier.

11. Dices: Quamvis hæc actio ex objecto non sit mala, sed bona, tamen ex circumstantia est semper mala, quia fit cum scandalum, et dando proximo occasionem ruinæ. Respondetur, ex hoc quidem capite posse actionem esse malam, non tamen semper. Quia illud scandalum potest esse interdum activum, interdum mere passivum, et aliquando illa occasio censebitur moraliter data, interdum

vero tantum permessa, seu ab alio accepta. Quando vero sit unius, vel alterius modi, non requirit hic specialem regulam aut doctrinam, sed ex ordine charitatis, et ex generali obligatione vitandi scandalum, et ruinam proximi, judicandum est; nam si commode possumus, et sine magno detrimento, auferre debemus proximo occasionem ruinæ, etiam si ex malitia vel fragilitate sua lapsurus sit, quia hoc postulat ratio charitatis; si vero id vitare non possumus sine gravi incommodo ac detrimento, non obligamur, cum tanto onere, ad omittendum ea, quæ nobis sunt utilia, ne alius inde sumat occasionem peccandi ex sola sua malitia, seu libertate. Hæc igitur regula servanda est in presenti materia.

12. *A ministro ex officio neque est semper licitum petere, neque ab alio semper illicitum.* — Unde infero primo, non esse sufficientem illam distinctionem de ministro ex officio obligato, vel sponte sua ministrante; de neutro enim illorum potest in universum affirmari vel negari, esse licitum ab eo petere sacramentum in prædicto casu. Nam licet ipse ex officio teneatur sacramentum dare, tamen si ego possum sine ullo detrimento ab alio petere, qui sine peccato dabit, lex charitatis Dei et proximi tunc obligat, ut auferam occasionem ruinæ proximi et irreverentiæ sacramenti, quia, licet secundum justitiæ rigorem unicuique liceat petere ab altero jus suum, quod sibi debet, tamen quando inde magnum detrimentum proximo est eventurum, et mea nihil interest illud idem bonum obtinere ab eo qui sponte sua vel ex debito ipsum confert seu ministrat, charitas postulat, ut proximi in ea occasione miserear, cum id possim facere sine detrimento, et ille revera sit in morali necessitate, seu discrimine constitutus. Dices, illum non esse in necessitate, cum sola voluntate sua peccaturus sit. Respondetur, non esse quidem necessitatem physicam; esse tamen moralem indigentiam et miseriam satis gravem; illa ergo satis est, ut subvenire illi debeam, si commode possim. Atque eadem ratione, non est semper malum, sacramentum petere a ministro iniquo, etiam si non teneatur ex officio dare, quia fieri potest, ut necessitas sacramenti suscipiendi tanta sit, ut non teneatur vitare ruinam alterius, cum tanto discrimine, ut patet manifeste, si sim in mortis periculo, et indigeam baptismo, vel pœnitentia; et idem existimo de Eucharistia, imo et de extrema unctione, ut ex sequentibus magis patebit.

13. *Distinctio de ministro parato, et non parato, qualis.* — Secundo infero distinctionem illam de ministro parato, et non parato, insufficientem etiam esse ad tradendam generalem regulam, quia de neutro illorum potest in universum affirmari, vel negari, licitum esse petere ab eo sacramentum. Quod enim frequenter liceat illud petere a ministro parato, licet iniquus sit, omnes sine controversia admittunt, et est per se facile creditum, quia tunc nulla est inductio nec cooperatio, cum actio ipsa per se bona sit, et aliunde vix sit ibi aliqua occasio ruinæ, quia jam ipse cecidit eo ipso, quod paratus est. Nihilominus tamen, quod hoc etiam interdum vitandum sit, nec semper liceat, sic explicatur, quia non semper aliquis est ita paratus, quin, si alter non accedat ad accipiendum sacramentum, vitetur in individuo aliquis lapsus seu peccatum aliquod, quia, licet sit paratus, non tamen semper est in illa actuali voluntate, aut in actuali usu ministrandi sacramentum; ergo etiam si alius sit paratus, accedendo ad illum, offeretur ei aliqua materia, ex qua ipse sumat hic et nunc occasionem peccandi; ergo, si cum æquali facilitate et commoditate hoc possum vitare, teneor id facere, et propter reverentiam sacramenti, et propter bonum proximi. Exemplum esse potest, si duo confessores sedeant parati ad confessiones audiendas, et mihi satis constet, unum esse bonum, et alium iniquum, et cum eadem facilitate possim alterutrum eligere, tenebor sine dubio vitare peccatum unius, et alteri, qui bonus est, confiteri, quia saltem vitatur illud sacrilegium externum, et injuria, quæ fit sacramento, quando in re ipsa dispensatur a pravo ministro, et fortasse etiam vitabitur aliqua culpa interior, quam non committet ille qui paratus est, si confessionem actu non audiat, neque absolvat. Rursus, quod a ministro iniquo non parato frequenter non liceat petere, omnes etiam admittunt, et est facile, quia est ibi major inductio, quæ propterea vitanda est, si commode potest. Quod autem hoc etiam non semper sit malum, constat ex ratione fundamentali supra posita, quia quod petitur per se bonum est, et potest justa necessitas vel utilitas intervenire, ob quam non teneatur aliquis non petere a proximo, seu non inducere illum ad id sibi præstandum, quod bonum est, et bene ab ipso præstari potest, etiam si ille nihil antea cogitaret de illo opere faciendo, neque ad id esset paratus, et quamvis ille ex voluntate sua inique id facturum